





1766, 5 111

DE MORIBVS
EORVM
QVI QVAESTVS SOLIVS
CAVSSA STVDENT

ORATIO
QVAM
PRORECTORIS
MVNVS CAPESENS

D. III. IVL. CXCCLXVI

HABVIT

ABRAH. GOTTHELF KAESTNER

CONSIL. AVL. REG. MATH. ET PHYS. P. P. O. SOC. R. SC. GOTT.
ET SOC. OECON. REG. EL. BRVNSVICO LVNEB. ACADD. REGG. SC.
SVEC. ET PRVSS. AC. EL. SC. VT. ERFORD. ACADD. BONONIENS.
ET AVGVSTAE PERVSINAE SODALIS SOC. REG. TEVT. GOT-
TING. SENIOR SOCC. TEVT. ET LIB. ART. LIPS.
LAT. ET TEVT. IENENS. COLLEGA

GOTTINGAE

LITTERIS SCHVLZIANIS CVRANTE F. A. ROSENBVSCH

DE MORIBVS

FORVM

QVI QVAESTVS SOLVS
CAVSSA STVDENT

ORATIO

QVAE

PRO RECTORIS

MAGISTRI CAESARIS

IN ANNO MDCXCVI

IN VITA

FRANCOFURTI KASTNER

FRANCOFURTI KASTNER
FRANCOFURTI KASTNER
FRANCOFURTI KASTNER
FRANCOFURTI KASTNER
FRANCOFURTI KASTNER
FRANCOFURTI KASTNER
FRANCOFURTI KASTNER
FRANCOFURTI KASTNER
FRANCOFURTI KASTNER
FRANCOFURTI KASTNER

OTTINGVS

FRANCOFURTI KASTNER



EXPRORECTOR MAGNIFICE
COMITES ILLVSTRISSIMI
DECANI SPECTABILES

V I R I


SVMME REVERENDI ILLVSTRES CONSVL-
TISSIMI EXPERIENTISSIMI AMPLISSIMI
AVDITORES OMNIVM ORDINVM
HONORATISSIMI COMMILI-
TONES SVAVISSIMI

Vulgatum est, sapientes eo potissimum ab aliis dif-
ferre, quod vel sine legibus, illa ipsa facturi
essent quae leges praecipunt; eaque re vere liberos se
ostendere, vt quos non cogat imperans sed probet.
Quales quidem ciues habere, si optabile est cuius, si-
ue latori legum siue custodi, certe magistratum aca-
demicum obituro, vix vlla spes esse potest negocium
illud

A 2

illud feliciter sibi cessurum, nisi vel omnes, vel sal-
 tim plurimos civium suorum, ita sciat esse compara-
 tos. Cum enim, aliarum civitatum incolae, perpe-
 tui fere sint, & iustae aetatis, quibus vel prudentia so-
 la, & rei familiaris cura, eam vitae rationem praescri-
 bat, qua possint inter aequales tolerari, illos quidem
 leges facilius continent; litterarum vero aliquam uni-
 versitatem, ad vnum vel tres annos adeunt, reliqua
 tota sua vita peregrini futuri, quorum aetas, impru-
 dentiae & vehementiae suae, multum dari postulat,
 quorum privata salus, ipsos publicae salutis caussa
 coercentibus, curae esse debet, quorum ingeniis, ad
 id quod in bonis litteris sublime est tendentibus, quae
 iusta in alios esset severitas, obfutura videtur, quorum
 poenas, innocui parentes magis quam ipsi sentiunt.
 Ex his coniunctis, si id efficitur, mitissimas legum
 omnium esse debere, quae litterariis, quas dixi civi-
 tatibus feruntur; hoc etiam inde cogetur: legum, quae
 poenarum atrocitate nulla se tuentur, auctoritatem fo-
 re non magnam, nisi sponte feruntur, & agnosca-
 tur, non tam iubere illas, quam ea, sine quibus con-
 sistere felicitas civium non possit, consulere.

Vt vero hunc in modum de legibus sibi datis, iu-
 venes litterarum studiosi sentiant, imo, ut plus apud
 eos boni mores valeant, quam apud alios bonae le-
 ges; plurimum facturum esse credo si in artibus quas
 discunt, non sola quaestus olim illis faciendi caussa labo-
 rent, sed honesta etiam, quam doctrinae utiles omnibus
 qui



qui eas tradant praebent voluptate ducantur. Ea de re, breuiter dicturo beneuoli adesse velitis auditores precor.

Litteris, si publicam salutem possumus tueri & singulis prodesse, aequum est, vt commodis quae nobis ipsis praebere possunt fruamur. Decet igitur, ea discere quibus olim possit vita nostra beator reddi. Sed haec, qui ob solum lucrum, olim ex illis percipiendum discit, primum, non ita discet, vt integrum quod sibi adferre possent lucrum ex illis percipiat. Cuius rei testes cito omnes, omnium lucrosorum studiorum idoneos doctores, (non enim iam loquor de inutilibus, vt poesi vel algebra); Illi vero, quoties conueruntur! negligi a discipulorum suorum pluribus, solidiorem theoriam, & cruda studia, in cathedram facram, in forum, ad aegrorum lectulos propelli? Hi scilicet iuuenes, nimium pro aetatis ratione rei familiaris curiosi, nolunt discere ex quibus pecuniam aliquando facere non possint, sed, quae neglecta senibus noceant, sero nimis experiuntur. Ipsa mechanicorum industria, felix non est, si nummulum solum causa, non cum voluptate aliqua exerceatur. Inter fabros, aut eos quorum opera vestimur, ille inter reliquos praestat, qui arte sua quodammodo delectatus, accuratius in rationes eius inquirat, & hinc vel meliora aliis, vel plane noua elaborat. Tu vero, qui hos probos viros, & vtilis ciues, alto supercilio, eruditus nempe! despicias, ingenii, si quod tibi est, culturam



turam omnem ad praesens lucrum dirigit, quod, manibus suis laborans, ne futor quidem bonus futurus perpetuo spectet, & iam vis, ut bona mea, corpus, animum immortalem, tibi credam, cui non tuto calcandos commiserim pedes?

Sed quales olim evadant, qui studia sua vniice ad quaestum dirigunt, amplius non perfequar, propius ad argumentum meum pertinet, quales illi, in ipsis litterarum officinis sint, ostendere. Igitur, si ament inertiam, & quomodo non amet illam qui sola quaestus spe diligens est? ea quae de pane lucrando esse iudicant, finibus, quam fieri potest arctissimis coarcebunt; multum sic otii habituri, quod, (neque enim arcum semper tendit Apollo,) ita consumunt, ut a tristi illa, ad quam solus ingenii largitor venter, eos pellit, disciplina, recreentur. Qualia vero esse oporteat, hominum qui voluptates animi ignorant, oblectamenta, vix est ut vberius recenseam. Ut enim temporis tardius fluentis vacuum, quod negociis explorere nolunt, utcumque repleant, quam ridicula, damnosa, execranda, peragunt desidiofi?

Tempus quomodo fallat, non quaeret anxius, qui litterarum studiis voluptatem inesse sentit. Eas ipsas doctrinas, quas lucrosas sibi aliquando futuras iudicat, pulchras etiam esse percipiet, fatigari vero se intelliget, non diligentia ipsa, sed diligentia vni eodemque obiecto diutius adhibita, igitur studiorum varietate



riete animum relaxabit. Neque enim amotis feriis ludum quaerentes, id quaerunt vt nihil agant, cum dentur ludi ipsis etiam negociis operosiores. Vt laticulorum albus exercitus nigrum vinceret, omnes animi vires aliquem intendere vidi, qui multo minore opera, de re graui subtiliter differuisset; remittere animum, est ab illa re qua iam occupatur, ad aliam contere, igitur remissuri animum ad futes laetias conuertunt illi soli, qui ignorant, innumera esse, quae delectent simul & profint.

Habet enim & hoc, voluptas quam litterae praebent, quod, qui illam sensit, ab ignobilioribus parum afficiatur, vt, quem eximia quaedam pulcritudo cepit, facile is deteriores formas spernat. Deinde, cum in cognoscendo, examinando, inuestigando, vero, plurimum impediunt: vulgarium oblectamentorum strepitus, animi motus vehementiores, leges vindicis metuentis inquietudo, dolor eius qui poenas promeritas perfert; haec omnia, & occasiones illorum, sollicitate euitabit, qui nolet perturbari illis, & ineptus reddi voluptati ex studiis percipiendae; Huic enim voluptati eae res praesenti, & certo impedimento sunt, quae studiis olim faciendo obfuturas easdem esse, hoc remotius periculum est, de quo minus cogitat iuuenis crastini plerumque securus, ipsumque periculi eius merum, si quando laceffit animum, facile pellit, successibus illorum, qui absolutis studiis, hoc est: absunto triennio academico computationibus, itineribus



bus non eruditis in vicos circumiacentes, gaudimoniis puerilibus, publicam & singulorum quietem turbantibus, parte eius triennii etiam in carcere peracta, tamen non infeliciter, ad munera, & quae vere eruditus destinantur praemia, grassati sunt. Id quidem non omnibus contingit, iis forte qui patronos inueniunt aut venales, aut stultos, sed paucorum exempla multis seducendis sufficiunt, in illa praesertim aetate, in quam maior vis est omnium quae sensibus blandiuntur, prona enim in spes vanas, etiam cum ab interno cuiusvis monitore reprehenditur, sperat tamen, quam iuris consulti interdum promittunt, causae, etiam fauuae, excusationem.

Supersunt quae pro sententia mea confirmanda addere possim; vt: saepe honestum & turpe rectius aestimaturum illum, qui non intra vnius doctrinae cancellos substitit, sed variarum rerum cognitione animum ornauit, frequenti vero exercitio, auxit eas animi facultates, quibus diuersae res inter se conferuntur, verum bonumque diiudicantur, de vitandis aut faciendis praecepta colliguntur: Sed, plura & maiora argumenta quam prouli, qui de his recte iudicauerint, scio non desideraturos. Vos igitur commilitones suauissimi, intelligetis, quomodo emolliant litterae mores, & feros esse non sinant: Scilicet, vt iuuenis, quo puellae amabili placeat, decoris, honestatis, virtutis ipsius erit studiosus; si rerum suarum rationes, forte quod tempus in academia male impendit, cogant, libertatem



bertatem pro dote vendere, & vetulae diuitis matrimonium quaerere, hic pecuniae amor, melioris eius reddendi vim habebit omnino nullam.

Quod vitium, vt a vobis omnibus procul abfore spero commilitones, ita confido etiam, quae iam audietis, tanquam paterna consilia vos esse sequuturos, quo fiet, vt REGIS tremendi etiam iussa esse, nunquam sitis experturi.

Age igitur Vir Clarissime, Actuarie Facultatis iuridicae, & leges Academiae nostrae latas praelege.



Quae audiistis commilitones, eo libentius serua-
bitis, quo magis intelligetis, haec esse vera libertatis
academicae praesidia; vt enim quaelibet societas, iuri-
bus suis atque priuilegiis, illa tuerur, quae ad com-
mune eius societatis bonum pertinent; ita, litteraria
ciuitas, summa libertate tunc fruitor, cum facere in
illa, omnia licet, quae ad culturam ingenii, & doctri-
nae incrementa referuntur. Contra: Mores singu-
lorum corrupti, quorum pestis late nisi cohibeatur
serpit; Superbia non meritis, sed vestibus quaesita;
Alia pecuniae & temporis quae studiis impendi debe-
bant, perdendorum irritamenta; Sodalitates inprimis,
eo tendentes; Nationalismus, ex cultioribus acade-
miis



miis omnibus relegatus; Qui nationalismo in legibus
 aequantur, ordines, qui sacramento collegas adstrin-
 gunt, rege necquicquam prohibente, tamen se coitu-
 ros, magistratus vero academici auctoritatem fusque
 deque habituros; Denique, consuetudo illa, rixas, in-
 ter ebrios, aut aleae, aut meretricis caussa, natas, cruo-
 re vngendi, cuius tenaces, ne credant, fortes se iudicari,
 mihi & aliis, qui nouimus veram & magni facimus
 fortitudinem, sed Artotrogi non sumus, vt Pyrgopo-
 lynicibus blandiamur, probe enim scimus, illos non
 morti se obicere, sed pauculis rubeis guttulis quas
 mox restituat vinum ad redintegrandam amicitiam co-
 piosius haustum, emere velle Starkaterorum aut
 Afsboernorum gloriam, nisi, quod mors, quae &
 fugaces insequitur viros, hos iuuenes, nihil tale putan-
 tes, aliquando mactet, hoc autem precio, non lau-
 rus venalis est, sed sapientiorum contemptus:

Hae res quas enumeravi, & illis similes, tum
 qui iis delectantur, tum alios, nolentes etiam, a stu-
 diis retrahunt; hae igitur verae sunt libertatis acade-
 micae compedes, quas frangetis, aut potius illis tur-
 piter vinciri vos, non permittetis, Studiosi! quo qui-
 dem nomine dum vtor, ita optarim animos vestros
 percelli, vt Romanorum, dum Quirites vocabantur.

Vnicum superest hunc locum relicturo, initium
 muneris mei a votis facere, non mei solius, sed pu-
 blico vestrum omnium auditores nomine fundendis.
 Pro-



Protege DEVS! REGEM vicarium tuum, cum *domo regia*; dirige consilia *ministorum regionum*, faue imprimis iis quae pro ornanda hac litterarum sede, *illusterrimus curator* eius molitur, docentes & discentes tales redde, tu omnis boni vnice auctor, vt plurimum faciat haec academia, ad cultum tuum firmandum & extendendum, augendamque felicitatem humanam, non eam solam quae hac vita finitur, sed illam quoque, quam olim perditam, genti nostrae **FILIVS TVVS** sanguine profuso recuperavit.



2

147 f. 2
v. 147.

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]



ULB Halle


002 174 812

3



sb





B.I.G.

Farbkarte #13

1766,5
11

DE MORIBVS

EORVM

QVI QVAESTVS SOLIVS
CAVSSA STVDENT

ORATIO

QVAM

PRORECTORIS

MVNVS CAPESSENS

D. III. IVL. CIOICCLXVI

HABVIT

ABRAH. GOTTHELF KAESTNER

CONSIL. AVL. REG. MATH. ET PHYS. P. P. O. SOC. R. SC. GOTT.
ET SOC. OECON. REG. EL. BRVNSVICO LVNEB. ACADD. REGG. SC.
SVEC. ET PRVSS. AC. EL. SC. VT. ERFORD. ACADD. BONONIENS.
ET AVGVSTAE PERVSINAE SODALIS SOC. REG. TEVT. GOT-
TING. SENIOR SOCC. TEVT. ET LIB. ART. LIPS.
LAT. ET TEVT. IENENS. COLLEGA

GOTTINGAE

LITTERIS SCHVLZIANIS CVRANTE F. A. ROSENBVSCH

